



PHONURGIAE

LIBER II.

PHONOSOPHIA NOVA,
Quâ reconditæ, & abstrusæ sonorum rationes
per numeros exponuntur.

PRÆFATIO.



QUANDOQUIDEM plures soni genesin exactiùs nôsse desideraturos prævideo; ut & hîc plenam satisfactionem daremus, hîc ea, quæ olim in *Musurgia* profecuti sumus, paulò ampliùs demonstrabimus. Quantam enim vim non solum in hominum animos affectûsque concitandos harmonicus sonus, sed & in ipsa animalia possideat; plena sunt omnium scriptorum monumenta. Quænam itaque hujus tam mirifici effectûs causa sit, aperiemus, ab ovo rem ordituri. Ex quibus apertè cognoscet *Lector* curiosus, quomodo chorda tacta, alteram intactam moveat: quomodo inde sive voces sive instrumenta musica spiritus incitent, & quàm mirificos effectus in affectionibus Iræ, Amoris, Cômiserationis Furorisque tum in artificiosa harmonica Symphoniâ, tum in ipsorum sonorum corporum collisione naturâ præstent; & quomodo tandem multiplici tubarum jam in præcedentibus expositarum per differentes phonaicos concentu, homines ad quoscunque affectus remotissimis etiam locis diffiti (tantò ubique majori stupore, quantò in remotiora spatia propagata Symphonia occultiùs se audientium auribus sistit) excitari queant, ostendemus; sed ad relictî *Rhombi* filum revertamur.